



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 717/15

NOTIFICATIO DE CULTUS CONCESSIONE QUANDO INSIGNES BEATORUM
RELIQUIAE PEREGRINANTUR

De reliquiarum Beatorum peregrinatione extra loca ubi iam Beati legitime cultu liturgico fruuntur (cf. *Notificatio de cultu Beatorum*, in *Notitiae* 1999, pp. 444-446), ex generalibus normis de cultu, haec praesertim consideranda sunt: Beati reliquiarum dignitas (fragmentum tantum vel indumentum inopportuna videntur); consensus Episcoporum dioecesanorum locorum ubi reliquiae peregrinationem suscipiunt, et effectus qui oriuntur ex eo quod de Beato agitur, et ideo cultus liturgicus conceditur *ad actum* in ecclesiis ubi reliquiae consistunt et pro illo tantum tempore in quo illic remanent.

Quando insignes Beati reliquiae peregrinantur (id est corpus, maior corporis pars, cor), facultas ritus liturgicos celebrandi in eius honore conceditur a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum pro singulis ecclesiis ubi illae reliquiae ad fidelium venerationem exponentur, et pro diebus in quibus eadem ibi aderunt. Postulatio tradenda est ab illis qui peregrinationem apparant.

Pro Missae et Divini Officii celebratione, textus (in variis linguis) adhibendi sunt iam approbati, aut, cum desunt, debent desumi ex respectivo Communi sive Missalis Romani et Ordinis Lectionum Missae sive Liturgiae Horarum; si vero textus iam approbati desunt, formularia quae in Communi exstant adhibenda sunt.

Missa et Officium Beati nequeunt celebrari si, illis in diebus, celebrationes occurrant quae nn.1-5 in "Tabula dierum liturgicorum secundum ordinem praecedentiae disposita" indicantur; si vero occurrant in diebus nn. 6-9 de dicta "Tabula", Missa et Officium Beati, Episcopo dioecesano consentiente (cf. *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 374), permittuntur. Diebus tamen dominicis (temporis Nativitatis et per annum), una tantum Missa in honorem Beati celebrari potest, dum aliae Missae et Liturgia Horarum de dominica esse debent.

Nomen Beati in Prece eucharistica commemorari potest, si Prex adhibetur in qua mentio Sancti illius diei possibilis est. Similiter, si Litaniae Sanctorum canuntur, Beatus invocari potest; imagines etiam publicae venerationi exponi possunt (cf. *Notificatio de cultu Beatorum* nn. 11 et 13).

De variis pietatis et devotionis signis erga Beatorum reliquias, monita observentur quae in *Direttorio su pietà popolare e liturgia. Principi e orientamenti*, nn. 236-237 et 245 describuntur.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 27 mensis Ianuarii anno 2016.

Robert Card. Sarah
Praefectus

✠ Arthur Roche
Archiepiscopus a Secretis